

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

Inscriptio:

*Præstantiff. Viro, Dn. Luca Osiandro S. Theologia Doctori.
Domino suo colendissimo & charissimo fratri.*



XII.

DUm commoratur hic tabellarius, prior redit, & tuas mihi literas exhibet, in quibus gratissimum, quod de læta catastrophe deliberationum Academicarum & de Gravensteinio Provinciali promovendo polliceris. Quod de consiliario à nobis non planè alieno, & de pagellis legum, indicari in meis literis petiveram, video te præteruisse. De domo Dionysianà scire velim, an Præfectus illius sit Conradus Arnoldus? De domo Sapientia, in qua 60. alumnos Electoris benignitate olim ali memini, docebis me, an idem numerus nunc etiam servetur & completus sit. Habeo mecum fratris filium, bono & candido ingenio, sed tardiore præditum: & sororis filium ingeniosum & in schola patriæ tuæ feliciter institutum. Ex his alterum in tuam disciplinam tradere cuperem. Quis sit Ambrosius Wolfius, qui adeo hostiliter Neapoli in miseros Patres Bergenses, & recens in me nominatim ob Historiam Confess. Aug. editam, invehitur, quæso ut significes. Audio conventum Pastorum isthic diè 7. Aprilis ab Electore institutum esse, cujus tu mentionem nullam facis. Moræ publicationis libri concordia, causam esse ajunt, quod Illustr. Elector jam hac, jam alia de causa diutius differri petat. Historiam Confessionis Augustana à Wolfio editam habeo. Defensiones D. Pappi legere percupio. Sed subito exemplaria omnia disparuisse Francofordiæ, intelligo. Fortè ab Adversariis coempta sunt. Tu si nactus interea exemplum fueris, quæso, ut mecum communices. Reverendi Parentis consilia & actiones gubernari à DEO æterno, omnis sapientiæ & successuum salutarium fonte, non dubiro. Ei salutem reverenter & officiosè verbis meis dices. Benè vale. 20. Aprilis, 1580.

(Chytræi manus.)

XIII.

Salutem in Domino Jesu Christo. Venerande & humanissime D. Doctore.

Quam in tristi & periculoso statu res Academia, & per hanc etiam Ecclesiæ nostræ versentur à tuo discessu, & quomodo Satan per sua organa omnem edificationem Christi inter nos subvertere conetur, de eo Dn. Doctor Philippus ad R. T. prolixè & verè scribet. Ego tantum hoc oro, ut nos precibus ad DEUM juvetis, & R. T. literis ad illustrissimum nostrum pro occasione datis animum ejus

variè